

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**D. Adami Rechenbergi Consensus Orthodoxus Cum Verbo  
Dei, libris Symbolicis & probatissimis Theologis gnēsiōs  
Lutheranis, inprimis Saxonici antiquis, De Gratiae  
Divinae Termino, oppositus Malevolorum ...**

**Rechenberg, Adam**

**Lipsiae, 1701**

**Quaest. XI**

**urn:nbn:de:bsz:31-105727**

Theologus Wittebergensis D. Lysenus in System. p. 681. & D. Gerhardus Loc. de Provid. §. 84. docent.

## QUÆST. XI.

*¶ Itum Christus Matth. XI, 28. gratiam suam omnibus simpliciter promittat, an vero iis tantum, qui sentiunt onus peccati, & eo cupiunt levari?*

**R**espondet, vel calumniatur potius Compilator: *Affirmat cum Reformatis ultimum membrum D. Rechenberg contra Krakewiz. p. 57.*

### Animadversio:

**S**i Compilator locum Matth. XI, 28. cum antecedentibus vers. 21. 22. 23. 24. 25. collatum inspexisset, textusque connexionem intellectisset, vel Paraphrasin Bibliorum Vinariensium, quam in Additam. III. pag. 58. cum qua ego locutus sum, attendisset, vel B. D. Gerbardi Loc. de Election. §. 187. evolvisset, forte hac impudenti cavillatione abstinuisset. Gerbardus enim agi ibi de consequente seu judiciaria DEI voluntate colligit: Patrem per Filium, mysteria Evangelii proposuisse etiam Phariseis & reliquis. Sed quia illi magis dilexerint tenebras, quam lucem, Joh. III, 19. quia spreverint consilium DEI adversus semetipsos, Luc. VII, 30. quia præ opinione sapientiae propriæ stultam Evangelii prædicationem contempserint, 1. Cor. I, 21. ideo Deum iusto judicio contemptum illum vindicantem abscondisse ipsis sua mysteria &c. Quare v. 28. sua invitatione tales induratos contemptores gratiæ non amplius dignatur; sed conversus ad spiritualiter oneratos publicanos, notoriis flagitiis quidem ante infames, nunc vero Evangelium amplexos, de quibus v. 5. & similibus peccatoribus dixerat, quod pauperes letum accipient Evangelium, quos & pusillum gregem vocat, quibus Pater ve-

lit dare regnum, Luc. XII, 32. Si vero *Compilatori* Gerhardi auctoritas non probatur, D. Egid. Hunnii expositionem, quam de *Prædestin.* Quæst. & Respons. p. 230. in hunc locum adfert Calvinianos confutaturus, admittere tenetur: Repetenda hic est, inquit, distinctio voluntatis antecedentis Dei, & consequentis. Voluntate antecedente, quam misericordia esse diximus, vult omnibus absq. exceptione hominibus innotescere doctrinam Evangelii: quia vult, ut omnes homines ad agnitionem veritatis perveniant, 1. Tim. II. At quando sapientes hujus mundi aspernantur & repudiant voluntatem Dei in Evangelio propositam, ibi voluntate consequente, que justitia est, VULT, ut porro eis absconditum maneat Evangelium de Christo, ad puniendum impium hunc contemtum, tantum tamq. divini beneficii. Quis vero negarit inter hos etiam invitatos adhuc fuisse reprobos? Manifesta ergo calumnia est, quando *Compilator* oggannit, me hic cum *Reformatis* sensisse, quorum sententiam de particulari gratia toties negavi. Cæterum vero simul inspecta D. Chemnitii *Harmonia Evangel.* cap. LVI. fol. 964. 965. quam iste falso allegavit, adparet, ipsum quoque abs Hunnii & Gerhardi, quæ & mea est, sententia non dissensisse. Quando enim ille in h. l. scribit: omnes sine exceptione hoc modo compellat, invitat & hortatur: & ne de meritis aut dignitate disputemus, nominat LABORANTES ET ONERATOS &c. objectum illud universale determinari ex ordine sapientissime a Deo constituto docet; ita tamen, ut nullum laborantem, & oneratum anxium & salutis æternæ cupidum peccatorem, a promissa gratia exclusum velit.

## Quæst. XII.

Utrum pia & certissima ad profligandam securitatem via sit, si dicas, Deum in hac vita gratia ostium multis sic occludere, ut prorsus nulla venia, aut misericordia & divina recuperanda spes supersit?

Respon-